



catum, qui injustitiam causae noscens, eidem patrocinari pergit, quod praevideat ex desertione causae sibi imminere existimationis & famae suae non modicam laesionem; ac Clientis quem in expensas hactenus factas, & in litem adduxit, in ipsum iram & offensam, aliaque similia incommoda: quae quantumvis ipsi advocato gravia & dura sint, nequeunt tamen injustitiam aut perjurii labem abstergere. Illud quidem diffiteri non possumus, quod ob haec & similia officium Advocatorum non parum sit periculosum: cum non raro vel temporalibus lucris, quia & famae existimationique, atque hominum favoribus sit renuntiandum, si justitiam adherere juramentumque servare velit.

XXXIII. Et haec quidem de patrocinio causae assumendo, aut in eo continuando. Ubi autem Advocatus revera credit causam sui Clientis justam & fundatam, ipsumque ab adversario injuste vexari, causamque sufficientem iudicio experiendi esse putat, tunc ulterius requiritur, ut in prosecutione causae sincereum ac fidelem sui Clientis se patronum exhibeat, ingeniumque Justitiae Athletam, illud praecipue ac primario praeculis habens, quomodo possit ipsi iudici causae justitiam persuadere: suumque Clientem quam citissime litibus & jurgis forensibus eximere, & ab Adversarii injuriis & molestiis liberare.

XXXIV. Ut autem Advocatus in defensione causae talem se exhibeat, imprimis studeat oportet, ut recte concipiat statum controversiae, ipsumque difficultatis cardinem, eumque claris & simplicibus terminis iudici exponat; abstineatque ab omnibus quae ad statum questionis non pertinent, aut eum involvunt ac obscurant potius, quam elucidant. Verissime enim jam pridem dixit S. Bernardus lib. 1. *De Consid. cap. 10.* „Nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis & pura narratio.

XXXV. Hoc sane hodiernum est multorum Advocatorum vitium, quod sua non ad causae scopum & questionis cardinem dirigant, nec studeant breviter & dilucide statum causae iudici exponere; sed confuse omnia agglomerent, ipsamque facti speciem in infinitos penes articulos & particulas discerpant, interjectis & intermixtis parergis quae ipsam facti speciem obscurant potius quam elucidant. Accedunt dein cavillationes circa singulas non tantum causae minutias, sed argutias quoque adversarii, quae nihil aut parum ad statum causae conferunt, sed eam totaliter involvunt, & plura saepe in una lite volumina progignunt.

XXXVI. Has Advocatorum longas disputationes, & effrenam scribendi libertatem jam olim repressit Justinianus in *L. fin. §. 1. Cod. De Appellat.* dicens: „In refulatoris autem libellis, qui solent maxime in sacro auditorio prudentissimorum notrorum procerum recitari caveant tam litigatores, quam libellorum dictatores, verbosus uti adfertionibus; & ea, quae jam perorata sunt; iterum resuscitare: sed haec solae inscribere, quae compendiosa narratione causas provocationis possunt explanare, vel aliquid novi continent, vel addere, quod derelictum est: scituri, quod si hoc fuerit praetermissum, non deerit adversus libellorum conditores amplissimi iudicii competens indignatio.

Hic verbis relatis dicit Tuldenu loco citato *cap. 9.* quod hinc recte Juris Interpretes censent, interdici a iudice advocacione ei posse, qui nimis in superfluarum disputationum sinus effundi solet.

Huic Advocatorum vitio incentivam vehementem subministrat hodiernus mos taxandi salaria Advocatorum pro numero pagellarum & linearum, atque verborum: de quo infra.

XXXVII. Accedit non raro hodie aliud vitium, a Romanis jam olim reprobaturum in *L. 6. §. 1. Cod. de Postulando*, quod scilicet in conviciandi prorumpant licentiam; „Agant, inquit lex citata, quod causa desiderat: temperent se ab injuria. Nam si quis adeo procerax fuerit, ut non ratione, sed probriis putet esse certandum, opinionis suae imminutionem patietur: nec enim conniventia commodanda est, ut quilibet, quam negotio derelicto in adversarii sui contumeliam aut palam pergat, aut subdole.

XXXVIII. Id ipsum injungunt Ordinationes Curiae Brabantiae *art. 293.* adduntque nec Advocatos id facere posse, nec a poena ibidem statuta eximendos, tametsi ipsorum Clientes, hac convicia sive injurias sint parati probare. *Al vvaert oock so dat heure meesters de selve injurien souden vullen advoueren.*

XXXIX. Ulterius cum Advocati sit omni studio & industria procurare clienti suo administrationem justitiae, atque a litium difficultate & onere liberare; satis patet, optime Advocatis congruere quod habetur in citata *Leg. 6. §. 4.* „Nemo ex industria protrahat jurgium.

Hinc inter alia hodie jurant Advocati, quod intuitu proprii lucri, vel ad praevindicandum parti adversae, non querent illegitimas vias, aut dilaciones. *Dat sy om haer selfs profyt of om die vvederpartye van heure meesters te prejudicieren, geene onbehoorleycke vveghen ofe dylayten seucken en sulen.* Id est: Ut nec proprii lucri causa, nec quo adversariae Clientum suorum parti detrimentum accersant, illegitimis viis procedant aut dilaciones procurent.

Speciale Edictum Regium contra Advocatos inutilibus & superfluis dilacionibus utentes extat *parte 2. Edict. Flandriae lib. 1. Rub. 5.* de ult. Augusti anni 1586.

VL. Huic vitio magis solent esse subiecti Advocati, qui divites fieri volentes tot causis se onerant, ut omnibus rite dirigendis & instruendis sint impares: nec tamen nimiam lucri aviditate illecti, ulla a se causis dimittere amant. Atque hinc multiplices dilaciones accipere, moralque omni via possibili, cum summo litigantium detrimento, magnisque expensis neceste conantur.

XLI. Praedicta omnia compendio exprimunt citata Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis *tit. 8. art. 5.* „Caveant Advocati, in scripturis concipiendis, ab injuriis, inutilibus repetitionibus, a supervacaneis & im pertinentibus allegationibus, & positionibus: facta etiam singula non dividant, nec plura conjungant, sed in unoquoque articulo unum factum ponant, sub poena, quod tales notorie impertinentes articuli in taxam non venient. Serio etiam caveant, ne aliqua ratione falsas allegationes pro veris obtrudant sub gravi poena, pro gravitate delicti per Iudicem infligenda.

Deinde *art. 6.* adduat: „Abstinebunt a superfluis Legum, Canonum, vel Authorum allegationibus. „Quantope re in hoc articulo hodie peccatur ab Advocatis, qui vulgo dicuntur scribere *pro-culina*: quibusque satis est, si pagellas impleant, pendendum est dicere.

XLII. Fidelitas Patronorum, quam suis clientibus addicunt eorum causas suscipiendo, exigit quoque, ut omni fidelitate sine ulla cum parte adversa collusione causam sui clientis defendant; ideoque & jam pridem apud Romanos adhuc Gentiles, Advocatus, qui causam sui clientis prodebat, colludendo cum adversario, extra ordinem puniebatur. *L. 1. ff. De Praevicariis.*

XLIII. Utque ab omni praevicariationis specie sint remoti, non convenit, ut facile patrocinium alicujus suscipiat Advocatus, dum adversa pars eum consulendo, arcana suae causae sincere & fideliter ipsi exposuit; tamen si causae ipsius patrocinium suscipere recusaverit.

Eadem ratione postulare non posse Advocatum contra clientem in iudicio appellacionis, pro quo postulavit in prima instantia, communiter receptum est.

XLIV. Ut vitia, quae hodie laudabile & honorificum Advocatorum officium reddunt odiosum, & in vilipendium adducunt, eliminari possent, credunt nonnulli in usum revocandam legem Cinciam, quae ne causarum Patroni pecuniam aut donum aliquod pro causis in foro agendis acciperent, vetabatur: quam jam vetustate abolitam Augustus Imp. teste Tacito *L. b. 14. Annal.* renovavit; & retineri voluit Trajanus, iussis omnibus qui quid negotii haberent, priusquam agerent, jurare: *Nihil se ob advocacionem cuiquam dedisse, promississe, cavisse.* Vide late hac de re discurrantem Nicolaum Vernulacum *Dissertat. De Litibus Orat. 4.* ubi revocatae hujus Legis hanc utilitatem putat: „quod Patroni causarum nihil ex libus sperantes, quam

citissime ad earum finem aspirabunt, non eas producent, non dilatabunt, non ingenibus scriptorum molibus onerabunt. Una est (ait) lucri aviditas, quae hoc tempore procreata, tot Motiva, tot Instrumenta, tot Arrestata, tot Interrogatoria, tot vidimus, tot Replicas Duplicasque, tam proluxas, & tanta verborum farragine amplificatas, quas dum miser Clientes intuentur, & quandoque vix ferre possunt, attoniti illo tot foliorum apparatu, quicquid habent in Advocatorum sinum conjiciunt, & adhuc parvam sese reperdiisse pro tanto labore mercedem arbitrantur.

Id ipsum monet Tuldenu *lib. 4. De Caus. corrup. jud. cap. 10.* dicens: „Praedae spes uberioris, & salarii copiosioris augmentum tot tabulas, tot calumniatores, praevicariationes, resque facit.

XLV. Hoc tamen monet Tuldenu hanc legem etiam sub Imperatoribus Romanis moderationem accepisse Scribit enim quod cum de renovanda hac lege rursus sub Claudio Imp. ageretur; atque eam in rem differuisse Silium Consulem, rem tamen peragi non potuisse; eo quod quidam de Senatu fortiter intercederent dicentes: „Neque eloquentiam gratuito contingere, omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis tendat. Sublatis studiosorum pretiis etiam studia peritura, ut minus decora.

Quidquid sit de hac Senatus intercessione; nec non contra legem Cinciam allegatis, hoc constat, quod Imperatores Romani salarium quoddam Advocatis permiserunt; illiusque meminit Ulpianus Jurisconsultus (qui circa tempora Claudii Imp. floruit) in *L. 1. §. 10. ff. De Extraord. cognit.*

XLVI. Notanda autem ratio taxationis, quam a iudice in taxando Advocati honorarium ineundam esse scribit Ulpianus: „In honorariis Advocatorum ita versari iudex debet: ut pro modo litis, proque Advocati facultia, & fori consuetudine, & iudicii, in quo erat acturus, aestimationem adhibeat: dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur.

Quantitas legitimi honorarii exprimitur in *L. 5. Cod. De Postulando.*

XLVII. Verum haec ratio taxandi Advocatorum honoraria, nec non praefixa eorum quantitas, moribus hodiernis a foro recesserunt.

Hodie enim non pro Advocati facultia vel eruditione & meritis, sed pro numero pagellarum, articularum vel linearum salaria taxandi usus invaluit, in quem stomachabundus invehitur Tuldenu loco citato *capite 11.* „Quid enim hoc aliud est (ait) quam ultro incitari eloquacitatem ad permittendum omnia, tragaediasque excitandum in nugis? Quid hoc aliud, quam praemis provocare ad diffundendam causam, protrahendamque jurgium? Adeo igitur vel nihil ingenii doctrinaeque in Advocatis quod aestimetur, vel nihil in iudicibus ea aestimaturae prudentiae est, ut numerari versus actionum, non ponderari oporteat? Id vero perinde est, ac si picturae pretium definiat modus & spatia obliatarum tabularum. An non longe majus discrimen & artis & ingenii & utilitatis inter forenses orationes, & pictorum opera? Quantum reprimitur inanis torrens garrulitatis, sua inundatione omnem causae speciem, omneque juris limites confundentis; si honorarii quantitatem loquacitatis modus definit? Futur est, profecto furor, publica auctoritate, honore; lucro incitare rabulas ad certamen extendendae in immensum litis & loquacitatis.

„Itaque (concludit ibidem Tuldenu) saluberrimum iudicium fuerit, iudicem qui de causa cognovit, honorarii quantitatem definire, pro conditione causae, & merito navatae diligentiae, quam non mole aestimet, sed pondere: sensa magis imputando quam verba; argumenta, non cavillationes; vim disputationis ad causae pertinentis statum, non pompam inanium excursuum; causae enucleationem, non ineptissimum adversarii argutiarum dum resutantur, imitationem; defensionem clientis, non intenta adversario maledicta: & in universum vim & pondus orationis ad statum causae accom-

modata, non numerum & molem scriptorum in ratione salarii intueatur iudex.

XLVIII. Interim tamen ubi hic usus taxandi salaria perseverat, bonus Advocatus debet causas a more & zelo justitiae & veritatis assumere, & pro officii sui ratione iudici sincere ac fideliter exponere; vitando ea omnia quae ad causae justam defensionem non spectant, ac taxato a Iudice salario contentus esse; quemadmodum & iurejurando in sua ad officium Advocati admisione promittere solet.

XLIX. Ostendit Advocatus se non primario intuitu salarii, nec animo plane mercenario causarum patrocinium suscipere, si non tantum divitum, sed & pauperum justas causas libenti animo suscipiat; usque fideliter & diligenter gratis & seposita omni spe remunerationis temporalis inferviat, quemadmodum etiam volunt Ordinationes Curiae Brabantiae *art. 292.* ubi decernitur, ut Advocati suis Clientibus ipsorumve procuratoribus liberum dabunt accessum, tam pauperibus (quibus pro Deo servient) quam divitibus; & ut pauperi prius ad ipsum accedenti, praestabit alloquium ante divitem qui posterius accesserit. *Dat d' Advocaten sulen den partyen ofe hueren Procureurs volkomen audientie geven, soo voel den armen (die sy om Gods vrulke dienen sulen) als den rycken, ende den armen eerst aen hem komende, audientie geven geseven ende ontcommeren voor de rycken die n. er komen sulen.* Id est: Ut Advocati, parti aut ejus Procuratoribus liberum & facilem dent accessum, nec minus pauperi (cui pro Deo inservient) quam diviti. Pauperique cum prior advenierit, aures praebent eumque expedient praedivite serius accedente.

L. An error Advocati noceat Clienti; imprimis distinguishendum est inter errorem juris & facti. Si Advocatus quae meri Juris sunt omiserit, non ita nocent Clienti, quin per iudicem suppleri queant; imo iudicis est, ex officio quae Juris sunt suppleri juxta *L. unicum Cod. Ut quae desunt Advocatus & c.* Error autem facti a iudice suppleri ordinari non potest: ne non tam iudicem, quam Advocatum agere videatur. Vide Antonium Fabrum in *Cod. lib. 2. tit. 7. Definit. 1.* ubi dicit, „factum nunquam supplendum esse, nisi tale sit, ut ex actis, & instrumentis litis non modo conjici, sed etiam probari queat. Id enim est (ait) quod vulgo nostri iactitant, debere iudicem secundum allegata & probata iudicare potius, quam secundum propriam conscientiam. Hinc consequens fit; „ut non nisi per raro suppleri exceptiones possint, propterea quod, licet plerumque juris magis quam facti esse videantur, vix tamen contingere potest, ut non aliquam habeant implicitam facti questionem, cum ex facto pendeant, cujus non semper expedita est ex actis probatio. Nam neque notorie, um suppleri Iudex potest, quod non fuerit allegatum; „quamvis allegati probationes exigere nullus jure possit.

Quomodo autem error solutus sive facti alicujus falsi allegatio Advocati noceat Clienti & habenda sit pro allegatione Clientis vide eundem ibidem *tit. 6. definit. 1.*

LI. Ex omnibus quae hactenus dicta sunt, facile cognosci potest, quod licet haud contemnendum, quin & laudabile sit Christiani & boni Advocati officium, nihilominus illud multis periculis expositum, & forensibus tricis implicatum sit. Dixit olim etiam Plinius *lib. 2. epist. ad Nepotem.* „Nos qui in foro, variisque litibus agimus, multum malitia, quamvis nolumus, addiscimus. Et Symmachus: *In forensi pulvere rara cognitio facundioris, & boni peccatoris.*

LII. Ob haec pericula, tum quod Advocatorum officium ferè totum in forensibus disceptationibus consistat, merito iudicatum fuit, Clericis in fortem Domini vocatis hoc officium minime congruere: probatumque quod olim dixit Justinianus Imp. in *L. 41. Cod. de Episcopis.* „Absurdum enim Clericis est, imo etiam opprobriolum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium. Quam moderatione scientiae Legum Civiliu studere debeant Clerici dictum est supra *parte 1. tit. 2. cap. 4.*

LIII. In *Cap. 1. De Postulando* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. „Clerici Subdiaconatu,